



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 20. Borromæus Boncompagno, & Sirleto favens.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

„hic patria Mediolanensis est, nullo pa-  
 „cto permittet, ut primam sedem, quam  
 „a tuo Patruo Pontifice pie defuncto  
 „accepisti, conserues, imo potius timen-  
 „dum, ne tibi ea adimat beneficia,  
 „quæ sub illius Pontificatu obtinuisti.”  
 His dictis Pacecus Florentinos adiit,  
 iisque illa, quæ Borromæo exposuit, re-  
 ferebat, nihilominus cum illis conue-  
 nerat, quod Moroni electioni obfiste-  
 re nollet, si Borromæus firmiter ei favere  
 pergeret (\*).

Sæcul XVI.  
 A.C. 1565.  
 Addit.  
 Andr. Vi-  
 ctorel. ap  
 Ciacon. to. 3.  
 p. 995.

§. XX.

*Borromæus Boncompagno, & Sirleto  
favens.*

Cum Moronus Cardinales nunquam  
 plures, quam viginti novem sibi  
 suffragantes numeraret, ac Borromæus  
 de hujus Viri electione actum ageret,  
 hinc is oculos suos in Boncompagnum,  
 & Sirletum coniecit, cum vero Far-  
 nesus Cardinalis pariter ad hanc di-  
 gnitatem adspiraret, eique plures fave-  
 rent, Carolus illum unacum Althem-  
 psio adiit, eique persuadere conatus  
 est,

(\*) Haud dissimulanda est Continuatoris  
 protervia, qua hujus fabulæ testem allegat  
 Andream Victorellum, qui tamen de his ne  
 verbum quidem habet: En! quam caute le-  
 gendi sint hodierni Historici.

Sæcul. XVI. est, ut idem, cum ætate adhuc juvenis  
A.C. 1565. esset, supremi Pontificatus spem abjice-  
 ret, ac potius suum, suorumque amico-  
 rum suffragia cuiquam alteri conferre  
 curaret. Ad hæc Farnesius dissimula-  
 tione usus Borromæo ita respondit:  
 „Si mihi virum omnibus necessariis do-  
 „tibus instructum proponis, ego piæ  
 „voluntati tuæ plene satisfaciam, at-  
 „que in sinceritatis meæ argumentum  
 „inter ceteros Cardinales seligam Pi-  
 „sanum, Mont-politianum, Alexandri-  
 „num, illumque de Ara Cœli: quicun-  
 „que igitur ex his quatuor tibi præpla-  
 „cuerit, huic & ego suffragari volo.”  
 Hoc responso Borromæus contentus  
 videbatur, ac sine ulteriori sollicitatio-  
 ne recessit, eoquod in Boncampagnum,  
 & præcipue Sirletum inclinaret, atque  
 hunc postremum eligi percuperet.

Ceterum Sirletus humili quidem  
 loco natus erat: ast exacta plurimarum  
 linguarum peritia, necnon profunda ju-  
 ris Ecclesiastici cognitione clarus in-  
 super singulari vitæ pietate aliis exem-  
 plo prælucebat, semperque cum mira-  
 morum comitate suam mentem illis,  
 qui ab eo quoddam consilium expete-  
 bant, aperire paratus erat: exinde ve-  
 ro Borromæus Cardinalis spem conce-  
 perat, fore, ut sub Pontificatu Viri a-  
 deo obsequiosa indole prædicti, necnon  
 ab

ab omni ambitione alieni summa tranquillitas floreret: attamen pia Borromæi consilia evertentur a Florentinis, quorum princeps erat Sfortia, unde Sirletto suffragia ad ipsius electionem necessaria deerant.

Sæc XVI.  
A. C. 1565.

§. XXI.

*Cardinalis Alexandrinus Borromæi opera in Papam electus.*

Tandem post varia consilia tum tentata, tum everfa Alexandrinus Cardinalis Anno sequenti millesimo quingentesimo sexagesimo sexto die septima Januarii in summum Pontificem electus est, assumpsitque Pii V. nomen.

Ciac. p. 989.  
E 996.

§. XXII.

*Friderici Gonzagæ Cardinalis obitus.*

Priusquam novus hic Papa eligebatur, imo jamjam ante Pii IV. Prædecessoris ejus obitum, sacrum Collegium hoc anno currente septem Purpuratorum jacturam deflebat, quos inter primus erat Fridericus Gonzaga Friderici I. Mantuæ Ducis, & Margaritæ Paleologæ Montferratensis Filius. Natus is erat Anno Christi millesimo quingentesimo quadagesimo post Patris sui mortem, quapropter

Ciacon. t. 3.  
p. 943.  
Victorel.  
add. ad  
Ciac.

*Hist. Eccles. Tom. XLVII. D d ab*